

CXCIX.

A

CC.

*In concilio apud Nemausum, abolito Gregorii VII præcepto, Urbanus monasteria Figiacense et Conchense uniri vetat. Utrumque monasterium gubernari a proprio abbate jubet.*

(Anno 1096.)

[MAB. LL., *Acta SS. Bened.*, Sæc III, p. II, p. 448.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei.

Cum pro negotiis ecclesiasticis in partes Galliae venissemus, apud Arverniam largiente Domino plenariam synodum convocavimus. Illic a Conchensis monasterii fratribus reverendæ memoriæ GG. VII. PP. litteræ præsentatæ sunt, præcipientis Figiacense cœnobium Conchensi cœnobio unendum. Et quia per idem tempus utriusque loco abbates proprii præsidebant, alterutro defuncto eum qui superstes esset, utriusque monasterio præferendum. Conchensis itaque cœnobii abbas, quia contra litterarum ipsarum tenorem substitutus fuerat, in eodem concilio depositus, et Figiacensis, qui supervixerat, utriusque loco prælatus est. Cœpit ergo inter utrumque monasterium discordia tanta versari, ut et bona plurima distraherentur, et animarum salus detrimentis maximis pessumdaretur. Præterea eum ad aures Cluniacensis abbatis hujusmodi constitutio pervenisset, cœpit supradictas GG. PP. litteras tanquam subreptitias calumniari, et definitionem ejusdem negotii se præsentem aliter perpetratam testari: quandoquidem ab eodem pontifice Figiacensis locus Cluniacensi monasterio per privilegium fuerit confirmatus. Igitur cum largiente Domino tertia per instantiam nostram apud Nemausum synodus convenisset, cœpit ejusdem negotii questio graviter agitari. Post longum vero super hac re episcoporum abbatumque tractatum, placuit eum pro apostolici privilegii conservatione, tum pro communi monasteriorum salute, ut utriusque loco, sicut antea fuerat, abbas cardinalis restitueretur, et Figiacenses monachi sub Cluniacensis abbatis cura deinceps et provisione persistèrent. Et nos igitur commune concilii decretum apostolicæ auctoritatis pondere confirmantes, definitionis hujus ordinem perpetuo permansurum nostri nominis litteris adnotari, et sigilli nostri præcepimus impressione firmari. Si quis autem hujusce definitionis tenorem temerario ausu fuerit conatus infringere, sciat se apostolicæ indignationis ultionem incurrere, et detrimentum sui ordinis vel officii invenire.

Actum in concilio apud Nemausum in ecclesia Sanctæ Mariæ vii Id. Julii, anno Dominicæ incarnationis 1096 [leg. 1095], indict. iv, anno vero pontificatus domni Urbani II PP. ix.

Datum apud Vallem Flavianam in monasterio Sancti Egidii, Id. Julii.

*Bulla Urbani II papæ pro S. Martino de Campis.*  
(Anno 1096.)

[FÉLIBIEN, *Histoire de Paris*, Preuves, tome III, p. 12.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HUGONI, Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus et devotionis sinceritas laudabiliter emittatur, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Tuæ igitur voluntati et communis filii Ursionis prioris postulationibus annuentes, beati Martini monasterium quod de Campis dicitur in Parisiensi parochia situm, præsentis decreti auctoritate munimus, ut quemadmodum cætera Cluniacensis cœnobii membra semper sub apostolicæ sedis tutela permaneat, et cuncta quæ ad locum ipsum in præsentiarum pertinere videntur; ecclesiæ videlicet de Agonvilla, de Nova Villa, de Marcio, de Monte-Martyrum, de Loveriis, de Castenio, de Noa Sancti Remigii, de Noa Sancti Martini, de Renzegio, de Bolbineio, de Caleio, de Confluentia, de Copeyo, de Fontanis, de Flamma-Regia-Villa; de Valle-Villaris, de Monciaco, villa quæ dicitur Bonzeia, Nuceium magnum, Nuceium minus, Anctum, Majoriolas, Sancta Gemma, Rodanivilla, Ursionisvilla, Clamardum, Sorvillare, Pentinum, Ceurenum, Sanctus Hilarius cum ecclesiis et pertinentiis earum, ecclesia etiam de Cona, de Bonella, de Pringeio. Quidquid præterea idem locus hodie juste possidet vel collatione bonæ memoriæ Henrici Francorum regis, qui ejusdem loci fundator existit, vel filii ejus Philippi, ejus donatione cella eadem ad vestium cœnobium noscitur pertinere; quidquid a quibuslibet fidelibus de suo jure eidem loco collatum est, vel in futurum conferri contigerit, firma semper et illibata permaneant, tam a te quam ab his qui per te vel successores tuos eidem loco præpositi fuerint, perpetuo possidenda, regenda ac disponenda.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in crastinum, ecclesiastica sæcularisve persona hujus decreti paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque divino judicio se existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et etiam a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultionis subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Je u Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis

percipiant, et apud districtum judicem præmia A  
arteriæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Nemausi per manum Joannis, sanctæ Ro-  
manæ Ecclesiæ diaconi cardinalis, ii Idus Julii, in-  
dictione iv, Incarnationis Dominicæ anno 1097,  
pontificatus autem domni Urbani secundi papæ ix.

## CCI.

*Urbanus Burgensem Ecclesiam Romanæ immediate  
subjicit, illum ab aliarum metropoleon absolvens  
obedientia.*

(Anno 1096.)

[FLOREZ, *España Sagrada*, XXVI, 464.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei.

Postquam apud Nemausum præsentibus nobis B  
per omnipotentis Dei gratiam plenaria fuisset syno-  
dus celebrata, Toletani archiepiscopi Bernardi ad  
audientiam nostram querela perlata est, Burgensis  
episcopi tanquam suffraganei proprii obedientiam  
requerentis, quasi in Oximæ parochia Burgos esset  
edificata: Oxima enim pars Toletanæ provinciæ  
non incerta cognoscitur. Ille vero ad Tarraconensem  
potius metropolim suam Ecclesiam pertinere pro-  
testabatur; quam quidem nos Burgensem urbem  
Aucæ decreveramus haberi vicariam, quæ, ut di-  
citur, antiquitus Tarraconensi fuerat metropolitano  
jure subjecta. Cæterum Alfonsus, Hispaniæ Citerio-  
ris rex, Burgensem episcopum Tarraconensi metro-  
politano nequaquam patiebatur esse subjectum, ea  
de causa quod infra regni sui terminos Burgus sit,  
Tarracon autem in Barcinonensis comitis potestate.  
His ergo de causis nostræ et fratrum qui nobiscum  
aderant discretioni visum est ad Ecclesiarum illa-  
rum sedandam seditionem, ut Burgensis deinceps  
episcopus manu tantum Romani pontificis regeretur,  
et Ecclesia illa suorum antistitum consecrationem  
ab apostolica sede perciperet, nisi archiepiscopus  
ipsa cum ad se pertinere authentica posset ratione  
monstrare. Interim cum ab utriusque metropolis  
obedientia et subjectione absolvimus.

Post hæc Burgensis episcopus Gomizo adversus  
eundem archiepiscopum querelam exercuit, quod  
post primam Massiliensis abbatis definitionem, qui  
per id tempus apostolicæ sedis vice illis in partibus  
functus fuerat, partem quamdam Burgensis paro-  
chiæ usurpasset. Nominatim vero Burgensis Ecclesiæ  
proprietas ac dominium occuparet villam, quæ  
Fenicularis dicitur, Valeranicense monasterium,  
cellam S. Mariæ de Ravenaria. Super his tribus  
quod Ecclesiæ Burgensis seu Aucensis proprietas  
esset, archiepiscopus ipse concessit, et episcopum  
in nostra præsentia revocavit. Rogatu tamen nostro,  
consentiente episcopo, Valeranicense monasterium  
usque ad annos tres eidem metropolitano habere  
permisimus. Villam vero Fenicularem, et cellam  
S. Mariæ de Ravenaria tandiu teneat, quandiu Oxo-  
mensis in manu sua Ecclesiam retinuerit, in cujus  
parochia eadem loca sita sunt, sed Aucensi Ecclesiæ  
in proprietatem præceptis attributa. Quod si Oxo-  
mensi Ecclesiæ cardinalis fuerit episcopus restitu-

lus, ad Aucensem sui juris proprietas revertatur.  
Porro parochiæ partem, quam Burgensis episcopus  
post legati definitionem sibi subtractam reclama-  
bat, idem archiepiscopus asserebat ab ipso episcopo  
in manum suam sponte et episcoporum judicio refu-  
tatam. Cum vero episcopus gravatum se et coactum  
in eo negotio responderet, Nos tamen, ne confratrem  
nostrum Bernardum archiepiscopum videremur  
vehementius aggravare, causam hanc sicut erat, sic  
esse permisimus, donec refutationem ipsam sponte  
et judiciario ordine perpetratam idoneis testibus in  
nostra posset audientia comprobare.

Datum apud Vallem Flavianam in monasterio S.  
Egidii Idus Julii, indictione iv, anno Dominicæ In-  
carnationis 1097, pontificatus autem domni Urbani  
papæ II anno ix, per manum Joannis S. R. E. dia-  
coni cardinalis.

## CCII.

*Urbanus II papa confirmat bona monasterii Rivipol-  
lensis, cui nonnulla immunitatis ac exemptionis  
privilegia conceduntur.*

(Anno 1096.)

[COCQUELINES, II, 90.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto  
filio BERNARDO, abbati venerabilis monasterii San-  
ctæ Mariæ quod Rivipollense dicitur, in comitatu  
Ausonensi inter duo flumina constitutum, ejusque  
successoribus regulariter sustinendis in perpetuum.

Apostolicæ sedis auctoritate debitoque compelli-  
mur pro universarum ecclesiarum statu satagere,  
et earum quieti auxiliante Domino providere. Ea  
propter petitionibus tuis, fili in Christo charissime  
Bernarde, non immerito annuendum esse censui-  
mus, ut Rivipollense monasterium, cui Deo auctore  
præsides, ad prædecessorum nostrorum Sergii et  
Agapiti exemplar apostolicæ sedis privilegio munire-  
mus. Per presentis igitur decreti paginam apostolica  
auctoritate statuimus ut quæcumque hodie idem  
cœnobium juste possidet, sive in futurum conces-  
sione pontificum, liberalitate principum, vel obla-  
tione fidelium juste atque canonice poterit adipisci,  
firma tibi tuisque successoribus et illibata perma-  
neant; in quibus hæc propriis duximus nominibus  
adnotanda: ecclesiam Sancti Petri eidem monaste-  
rio adjacentem cum cæteris ei subjectis ecclesiis:  
in castro Cervariæ ecclesiam Sancti Martini, capel-  
lam Sancti Nicolai, cellam Sancti Petri cum ecclesia  
castrum de Monte Palatii, cellam Sancti Quintini,  
monasterium Sanctæ Mariæ quod dicitur Gualterii,  
Sancti Andrea inter Pontonos, Sanctæ Mariæ de  
Panizaris, Sanctæ Mariæ de Monte Serrato, eccle-  
siam Sancti Stephani de Grannolariis, Sancti Ste-  
phani de Ripa cum alodiis Bernardi vicecomitis,  
quæ cœnobio delegavit; mercati vero quod penes  
idem monasterium fieri consuevit, teloneum et om-  
nem justitiam tibi tuisque successoribus confirma-  
mus: castrum quoque Menslei cum terminis et  
pertinentiis suis, castrum de Torsa cum ecclesiis et  
dominicaturis, et portibus maris, piscationibus, et